



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Cæremoniale FF. Minorum Strictioris Observantiæ Almæ  
Provinciæ Saxoniae S. Crucis**

**Sächsische Franziskanerprovinz vom Heiligen Kreuz**

**Nevhsii, 1706**

**VD18 10502327**

Titulus I. De Natali Domini.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71672](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71672)

CÆREMONIALIS  
Fratrum Minorum strictioris

Observantiæ Provinciæ Saxoniae  
sanctæ Crucis,

PARS III.

DE RUBRICIS PROPRIIS  
MISSALIS.

TITULUS I.

*De Natali Domini.*

**S**acerdos quoniam in die Natalis Domini celebrat tres Missas, in prima & secunda Missa non sumat purificationem, sed in tertia Missa tantum, & in prima & 2da Missa abluat digitos in aliquo vase mundo. Ita Rubrica post Missam Vigilæ Nativitatis; in prima igitur & 2da Missa hausto diligentius sanguine de calice, pro ablutione digitorum non infunditur vinum in calicem Missæ, ne vinum ablutionis sit deinde materia consecrationis ut inquit GAVANTUS, & hoc novent Ministri, quandoque enim contingit, quod Sacerdos calicem porrigat pro ablutione eamque inconsideratè sumat. sed abluat digitos in aliquo vase mundo, calicem autem relinquat super corporale, & caveat, ne purifica-

rificatorio extergat, nec purificatorium imponat calici, sed patena, palla & velo coopertum, Subdiaconus deferat ad credentiam, vel relinquatur cum corporali extenso super altare prope tabellam secretarum, ne impediatur incensationem altaris faciendam in Laudibus, ibidemque decenter servatur usque ad 2dam & 3tiam Missam; purificatorium quoque relinquatur prope corporale.

2. Idem observetur in Missis privatis, & Sacerdos post Imam & 2dam Missam junctis manibus, calice relicto in altari revertatur ad Sacristiam. Advertat quoque Sacerdos, ne ad Offertorium infusus vinum calicem purificatorio extergat: Preces tamen quæ in purificatione calicis & digitorum ablutione dici solent, non omittuntur.

## TITULUS II.

### *De Feria 4ta Cinerum.*

**S**acerdos indutus Pluviali violaceo vel sine Casula cum Ministris similiter, si est sine Dalmaticis si Sacerdos sit sine Pluviali, alioquin violaceis indutus procedit more consueto: Versicularii postquam ad altare pervenerint, mox sua candelabra super credentiam deponunt, ad benedicendum cineres, Diacono & Subdiacono, aliisque Ministris hinc inde lateraliter assistentibus.

Et primo à choro cantatur Antiphona EXAUDI NOS DOMINE, &c. quam Celebrans stans in cornu Epistolæ inter Diaconum & Subdiaconum submissâ voce legit, qua finita eodem modo stans, & non vertens se ad populum dicit DOMINUS VOBISCUM, &c. interim Thuriferarius tempestivè parat thuribulum & vas aquæ benedictæ, finita benedictione, Sacerdos retrahit se ad medium altaris, ibique facie versus populum medius inter Diaconum & Subdiaconum stabit: & dignior Sacerdos ex Clero accedens ad altare ascendens usque ad suppedaneum, imponit cinerem Celebranti non genuflexo sed ut prius stanti, & parum inclinanti. Cineres imponit in formam crucis, & dicit MEMENTO HOMO QUA pulvis